



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 144. Conventus Mantuani exitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

majoribus deteriores videri possint. Idem ^{Sæcul. XV.}
 de Francis, de Castellanis, de Portugallen- ^{A.C. 1460.}
 sibus dicimus. Anglia civilibus agitata
 motibus, spem nullam pollicetur, neque Sco-
 tia in intimo abscondita Oceano: Dacia
 quoque, Suecia, ac Norvegia, remotiores
 provinciæ sunt, quam milites possint mitte-
 re; nec, solis contentæ piscibus, pecuniam
 ministrare possunt. Poloni Turcis per Mol-
 daviam contermini, suam causam deserere
 non audebunt: Bohemos mercede licebit con-
 ducere, suo ære extra Regnum non mili-
 tabunt. Sic res Christianæ se habent. Hun-
 gari viginti millia equitum armabunt; pe-
 ditum haud minorem numerum: qui Ger-
 manis juncti, ac Burgundis duodenonaginta
 millia militum in castris habebunt. Et
 quis non his copiis superatum iri Turcas
 arbitretur? His accedet Georgius Scander-
 begus, & Albanorum fortissima manus:
 & multi per Græciam ab hoste deficient,
 & in Asia Charamannus, & Armenorum
 populi, Turcas a tergo ferient. Non est
 cur desperemus: tantum Deus ipse capta
 secundet. Ite & narrate domi, quæ hic
 gesta sunt, & ut promissa in tempore fa-
 ciant, Dominos vestros admonitos reddite.

§. CXLIV.

Finis Conventus Mantuani.

His dictis, qui aut pecunias repræsen-
 tarunt,

Sæcul. XV. tarunt, aut suorum Principum nomine suppetias polliciti sunt, rursus promissi fidem servare sponderunt, ceteri vero tacuerunt. Oratores Borſii Eſtenſis Marchionis, ut eorum Princeps ultra omnium expectationem plura præſtare poſſe crederetur, aureorum trecenta milia promiferunt, non ſine magna adſtantium admiratione. Tandem juſſit Pontifex, ut Cardinales, Epifcopi, Abbates & cuncti, qui aderant, ſacras induerent veſtes, ut ſolemniori ritu Conventum ſolverent. His peractis, & ipſe Papa ſuo folio deſcendens, ad gradus Aræ majoris ſe convertit, ibique flexis genibus inter lacrimas, ac ſuſpiria ſupplicii ad Deum voce, ſelectos ex pſalmis verſiculos, qui ad rem præſentem magis idonei videbantur, recitavit, reſpondentibus Prælatiſ, omnique Clero: denique populo Apoſtolicam impertivit benedictionem. Hunc in modum Pontifex Mantuano Conventui ſinem impoſuit, in quo longe facilius fuit conſilia exquirere, ac decreta concedere, quam illa exequi; nam non minus eadem ferme obſtacula poſt ſolutum conventum permanſerunt, ac ſi nunquam pro ſtabiliendis mediis, quibus Chriſtianæ Reipublicæ adverſus Turcas ſubveniri poſſet, conveniſſent. Equidem nunquam ſatis deprædicanda ſunt pia ſummi Pontificis conſilia, atque ardentiffimum ejusdem

Raynald.
Ann. Ecclef.
ad an. 1460.

Spond. ad
hunc ann.
num. 2.

dem studium; Verum cum & ipse turba-
 tam conspexisset Italiam, populumque
 continuis dissensionibus inter se discissum,
 nonne majoribus laudum titulis celebran-
 dus fuisset, ac vere Fidelium Pater vo-
 cari meruisset, si pacem inter Filios suos
 prius conciliaffet, quam Fidei hostes ex-
 tero bello opprimere studuisset? (*)

Secul. XV.
 A.C. 1460.

§. CXLV.

(*) An non magis laude dignus censeatur
 is, qui fidem tuetur, simulque fideles Filios
 a jugo servitutis, & æternæ salutis discrimi-
 ne liberat, ac is, qui Christianos de profanis
 possessionibus inter se dimicantes componere
 studet, Lectoris judicio relinquimus. Nempe
 juxta Continuatores nostrum Pius æterna
 memoria dignus, fuisset, si in Conventu Man-
 tuano prius omnes Principes pro Andegavensi
 Duce adversus Ferdinandum ad arma concitas-
 set, & ipso facto totam Europam communi
 bello involvisset. Ecquidem Spondanum in
 hunc locum allegavit, cujus tamen verba hæc
 sunt: *Verum & ipsemet turbatam vidit Italiam,
 nec componere studuit: & alii Principes sua
 magis curare satagerunt, quam aliena, cum
 plerique inter aliena constituant, quæ Religio-
 nem tangunt, & plus æstiment vicinis ac pro-
 ximis nocere, quam remotis & longinquis pro-*
Hist. Eccles. Tom. XXVIII. It desse.